



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 2. An Christiano fas sit vxorem dimittere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in uxorem: quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino: ne peccare facias Terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam.

Vti considerandum est, non sine causa posse dimitti. Nam ait, & inuenerit in ea seditatem aliquam ערוה דבר, Gheruath dabar, nuditatem verbi, seu opprobrium alicuius rei, vbi 70. verterunt & ἡνέκα rem turpem, seu indecoram. Libellus repudij vocatur à Matthæo Στοιχείον repudij, in Deut. כפר כריתות Sepher cerithuth: libellus excidij. Syrus vocat כהבא ררוללא Kethaba dedulela. Scripturam: repudij. Hac de lege controuersia est: An l. d. do vxorem ob aliquam causam abomnanti ius fuerit datum eam dimittendi, vt nec ipse dimittendo, nec vterque alias nuptias celebrando peccaret? An vero lex fuerit iudicialis, seu permissio, qua solum repudiator id consequeretur, ne lege in eum ageretur.

An lex per-
mittens so-
lum, an si-
ne peccato
permissum.

Multi sunt etiam Catholici, qui negant sine peccato repudia permissa, licet sine pœna, quam res publica exigeret. Ita Franciscus Lucas hoc loco. Ita Magist. l. 4. d. 33. Bonauent. Richardus. Dominicus Soro Quos ferè hæretici sequuntur, & plerique negant licitum fuisse. Caluinus. [Summa autem est. Quamuis Lex diuortia non puniat, quæ à prima Dei institutione dissident, adulterum tamen esse, qui reiecta vxore alteram sibi accipit. Neque enim est in hominis arbitrio, coniugij fidem soluere quam Dominus ratam manere vult. Itaque pellex est, quæ legitimæ vxoris torum occupat.]

Repudium
malum,
sed non pu-
niri.

Augustinus l. de bono coniugali c. 8. Exprobrationem potius repudij, quam approbationem esse docet. Caterum, inquit, aliter se habere iura gentium quis ignorat vbi interpositio repudio sine reatu aliquo vitionis humana, & illa cui voluerit nubere, & ille quam voluerit ducit. Cui consuetudini simile aliquid propter Israelitarum duritiam, videretur permississe Moyses de libello repudij. Quæ in re exprobratio diuortij magis apparet, quam approbatio.

Post repu-
dia erant
vera ma-
trimonia.

Quem tamen ita interpretor, vt potius reprehendi duritiam ab eo patem, quam vt neget, fuisse vera coniugia post datum libellum, cum Polygamiam veterum sine peccato fuisse ille consensit. Mihi S. Thom. Scoti. Durandi, Paludani, aliorumque in 4. Sent. 33. sententia probatur. Non peccasse qui dimissas ducerent & fuisse libera matrimonia. Nam primo de viris non erat difficultas, quibus concessa erat Polygamia, poterant ergo & retinere, & alias ducere, multo magis dimissis alijs. Durissima igitur fuisse in fœminas illa lex, qua viris per multa matrimonia volutatis, ipsæ perpetua continentia attingerentur.

Deinde verba legis id indicant, quæ omnino permittunt, duci, cum tamen seuerè non modo adulteria, sed etiam fornicationes prohibeant.

Tertio repudata est, alteri nupta non poterat ad priorem redire maritum. Non ergo amplius erat matrimonium, sed vinculum sublatum.

Denique polluta est, abominabilis est coram Domino, quia publice reiecta est & velut indigna matrimonio habita.

QVÆSTIO II.

An Christiano fas sit uxorem dimittere?

Matrimo-
nii Chri-
stianum
insolubile.

S. 1. C. Controuersia Catholicos inter & hæreticos agitur. Orthodoxa enim fides nos docet: Habitatione & toro posse separari coniuges, verum ipsum matrimonij vinculum in Ecclesia Christiana

insolubile esse, sola morte rumpi. Hæretici multas dimissionis causas adferunt, quibus ipse Matrimonij contractus dissoluitur, & nouatum nuptiarum facultas concedatur. Iurisperiti repudium non modo vxoris, sed & sponte esse asserunt. Diuortium de sola vxore vsurpant. De toro solo aliquando, de vinculo sæpius loquuntur. Itaque nec Luth. l. de capt. Bab. c. de Matrim. Melanchton in locis. Gemit. in 2. part. exam. separationem tori à solutione vinculi distinguunt.

De vinculi autem solutione Lutherus primum dubitauit, in capt. Babylo. coperet tamen rem definiti, & fornicationis causæ addi abstinendam coniugis. At in 1. Cor. c. 7. alias causas adfert, si Ethnicus sit, vel falsus Christianus coniux, si rixosus, impellat ad peccatum, diuabit, & de causis matrimonialibus, si pauper diuitem duxerit, quem retinere non potuerit. Butcherus in c. 19. Matih. diuortium permittit, si alter coniugum, alteri se minus commodum præstet, aut sibi displiceant. Melanchton fornicationem & desertionem admittit solas: nouum coniugium nocetū pariter & innocenti permittit. Caluinus l. i. inst. c. 19. §. vlt. In adulterio permittit. Kementius eodem modo, sed tantum innocentiam alias nuptias concedit.

Disputata est hæc quæstio lib. 2. ab Augustino de adulterinis coniugijs, ad Pollentium, vbi sic statum quæstionis exponit. l. i. c. 6. Verum hoc interest, quod Statum nos, quando coniuges ambo Christiani sunt, mulieri si à viro fornicante discesserit, dicimus non licere alteri nubere, à viro autem non fornicante non licere omnino discedere. Tu vero dicis, si mulier à viro non fornicante discesserit, non ei licere alteri nubere, propter preceptum; si autem à fornicante discesserit, non ei expedire nubere, propter opprobrium, Mulierem itaque non nupturam discedere à viro siue fornicante, siue non fornicante, permittis.

At hæretici non agnoscunt vllum, nisi soluto vinculo, repudium. Græci quidem vxores dimitti posse docent, libereque dimittunt. Conc. Flor. scilicet vlt. Et. l. in 1. Cor. 7. anno 1515. docuit posse dimitti. Deinde Caietanum, & eius expolitor Catharinus l. 5. annot. in Caietanum. Qui tamen non tam rem ipsam, quam modum definit. Non posse, ait, ex Scriptura probari diuortia esse illicita, sed tamen ob multas causas, non posse dimitti. Hæretici dissentit.

Nec est hæreticorum inter se concordia. Kementius 2. part. eam negat habitationis & tori se iunctionem, nisi ob solam fornicationem.

Ad perfectam horum verborum intelligentiam adiungenda sunt ex alijs locis similia aut pene eadem. vt c. 19. cum Pharisei quærent, an liceret dimittere vxorem quacunque ex causa. Respondet v. 9. Dominus. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mæchatur: & qui dimissam duxerit mæchatur.

Marc. 10. 11. Et dixit illis: Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super ea. Et si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mæchatur. cunda. n. Luc. 16. 18. Omnium qui dimittit vxorem suam, & aliam ptia proter ducit, mæchatur: & qui dimissam à viro ducit, mæchatur. bennur.

Hic aperte sine exceptione vlla adulterij damnatur, qui dimiserit, & aliam duxerit.

Vnde non modo male Matthæum intelligunt, sed Marco, & Luca ex proposito contradicunt, quicumque matrimonij vinculum dissolunt. Nec ad eam facit, quod ex Matthæo interponunt, Excepta fornicationis causa.

Id enim non addendum fuisse constat, cum Lucas Luca & Marcus absolute Euangelia scripserint, quæ sunt si. Marco nec illa additione, vera, quod si generalis illa sententia addenda Marci & Luca falsa est, lectores deciperunt, cum velle exceptionem tantum vllum dimittere vxorem, & adulterum pronuntiant, quicumque vel aliam duxerit, si licet ob fornicationem dimittere.

§. 2. Instant tamen, & carni præsidia quarunt, Lucas & Marcus aiunt. Omnis qui dimiserit uxorem, & aliam duxerit, mœchatur. at Matthæus ait. Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, faciteam mœchari. Ex hac colligitur illa particularis: Non omnis qui dimittit uxorem suam, facit eam mœchari: Exceptio enim facit ex vniuersali singulari: quæ si in Marco & Luca non est subaudienda, contradicunt sibi Euangelistæ. Nam c. 19. & omnis, &c. mœchatur. & non omnis mœchatur, contradicentia sunt. Verum tamen apparet illa, non vera contradicentia. Patet Augustinus Matthæi verba obscuriora esse. l. 1. de adulterio. coniug. cap. 11. sed clara apud alios. Sed quod minus intelligitur apud Matthæum, apud alios Euangelistas intelligi potest. Quapropter cum legerimus in Euangelio secundum Matthæum: Quicumq; dimiserit uxorem nisi ob fornicationem: vel hoc quod magis in Græco legitur, præter causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur: non debemus continere illam non mœchari, qui propter causam fornicationis dimiserit, & aliam duxerit: sed adhuc ambigere, donec Euangelium secundum alios Euangelistas à quibus hoc narratum est, consulamus. Quid si enim secundum Matthæum, non quidem quod ad hanc rem pertinet, dictum est totum, sed ita pars dicta est, ut intelligatur à parte totum, quod tanquam explanantes Marcus & Lucas, ut claresceret plena sententia, totum dicere maluerunt? Cumq; ita primum non dubitantes, verum esse quod apud Matthæum legitur, Quicumq; dimiserit uxorem suam præter causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur; quæserimus, utrum tantum iste mœchatur ducendo alteram uxorem, qui præter causam fornicationis priorem dimiserit; an omnis qui dimissa uxore alteram duxerit, ut ibi fit etiam ille qui fornicantem dimiserit; nonne secundum Matthæum respondebitur nobis: Quid queritis, utrum ille sit mœchus, & ille non sit? Quicumq; dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit. Nonne etiam secundum Lucam dicitur nobis: Quid ambigitis utrum ille qui propter causam fornicationis uxorem dimiserit, & aliam duxerit, non mœchetur? Omnis qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram, mœchatur. At per hoc quoniam fas non est, ut Euangelistas, qui amicus diuersis verbis de vna re loquentes, ab vno sensu eademq; sententiâ dissensire dicamus, restat ut Matthæum intelligamus à parte totum significare volumisse; eandem tamen tenuisse sententiam, non quidem ut dimittens uxorem & alteram ducens, quidam mœchetur, id est, qui præter fornicationem dimiserit, quidam vero non mœchetur, id est, qui propter fornicationem dimiserit, sed omnis qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram, mœchari minime dubitetur.

§. 3. Matthæum igitur exponunt, primum ut sit sensus. Qui dimiserit uxorem suam, alia de causa quam fornicationis, facit eam mœchari, auetor est, vtilia dimissa fornicetur, si vero fornicationis causa eam dimittat, non facit ipse eam mœchari, cum iam ante sit mœcha, & si dimissa in eodem crimine perseverarit, non imputabitur causa marito dimittenti, sed uxori dimissæ, non quod ob alias causas dimitti non possit, sed quod hæc sola sit matrimonialis, aliæ sint omni societati communes, ut si vitæ infidetur, &c. Porro agitur de separatione à thoro & cohabitatione, non autem iure alteri nubendi.

Qui dimissam duxerit. Non est sensus, qui dimissam ob aliam causam, g. aliquam fœditatem, vel quâcumque aliam duxerit, mœchatur, & qui fornicationis causa dimissam duxerit, non mœchatur. Sed alius omnino: qui dimissam ex quacumq; causa duxerit, mœchatur, quia manet prius matrimonium. Ratio est, vxor dimitti poterat, si v. g. anhelitus illi grauis, si ex labore, vel morbo forma perisset, deinde si adultera esset, olim scilicet inire nouas nuptias, nunc ex legē Christi, si fornicariæ concederetur, negantur autem probæ, sed misera, quæ est æquitas legislatoris? Si vir importunus probam uxorem dom. p. lat, improbam

Adami Conzen in Euang. Tom. I.

superinducat, non licebit innocenti quærere nouas nuptias, adulteræ liceat?

Resoluenda enim non sunt verba hoc modo. Quicumq; dimiserit, id est. Qui dimiserit uxorem ob aliam causam quam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur, sed si dimiserit ob fornicationem, & aliam duxerit, non mœchatur. Et quicumq; duxerit dimissam ob aliam causam quam fornicationem, mœchatur, sed qui dimissam ob fornicationem duxerit, non mœchatur. Sed hoc modo. Qui ob aliam causam, quam fornicationem dimiserit, mœchatur, quia ut c. 5. 32. facit eam mœchari. Si autem ob fornicationem dimiserit, & aliam duxerit, etiam mœchatur, ducendo, non dimittendo. Itaq; mœchari est adulterii reum esse, vel faciendo, vel occasionem dando. Itaq; ex heb. dialecto relatiuum repetendum est, ac si dictum esset. Quicumq; uxorem dimiserit excepta fornicationis causa mœchatur, & qui aliam duxerit mœchatur, & quicumq; ex quacumque causa dimissam duxerit, mœchatur.

Piscator sic quoq; interpretatur. [Non statim innocens est coram Deo, cui aliquid indulgetur ac permittitur à legibus ciuilibus. Etenim repudiatio vxoris seruantis, si de coniugalem, indulta quidem ac permissa fuit à Deo per legem ciuilem Moisaicam: at non propterea fuit à Deo approbata, quippe Christus talem repudiatorem affirmat esse authorem adulterii: idq; trifariam, primum scilicet in se ipso, maxime si duxerit aliam uxorem viuente adhuc repudiata illa, inf. 19. 9. deinde vxore repudiata, quam facit mœchari, quatenus illi facit facultatem & præbet occasionem nubendi alteri, ipso adhuc viuente: tum etiam in illo altero qui repudiata duxerit. Similiter lex ciuilis permittit lites forenses: at non propterea Deo placet, qui mauult litigando ius suum persequi, quam ex charitate de iure suo concedere.] Tripliciter igitur adulterii ream facit.

Vno igitur verbo res exponitur. Qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, ille mœchatur, hoc est, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, mœchatur, ducta aliena. Nec veteres modo, sed et ipse Piscator interpretatur sic. Vel negatiue. Qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, id est, quod fieri non potest, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, etiam si ob fornicationem dimiserit, mœchatur.

§. 4. Cōfirmat hæc interpretatione perpetua Ecclesiæ consuetudo, definitio scque & sententiæ, quæ est certa intelligendæ Scripturæ regula. Ita Can. Apost. 48. Iustinus in Apolog. ad Anton. itaq; Athenagoras. Clemens Alex. l. 2. Strom. Tertul. l. 1. in Marc. Orig. in c. 19. Math. Conc. Elibert. c. 9. Amb. in 16. Luc. Hier. ad Ocean. & Amandum. Chrys. hom. 17. in Matth. Concil. Mileuit. Can. 17. Conc. Afric. can. 69. Innoc. I. Ep. 3. ad Exup. Can. 6. Aug. de adulterinis coniugiis. Prima. in 1. Cor. c. 7. l. 2. de diuini officii c. 19. Beda in 10. Marci. Concil. Forolulien. Can. 10. Naneten. sub Arnulpho Can. 12. Ansel. D. Thom. in 4. dist. 35. D. August. l. 10. c. 9. de coniugiis. q. 83. Si Dominus dimittenda coniugia solam causam fornicationis admittit, & paganum coniugium dimitti prohibet, consequens est, ut paganus fornicatio non deputetur. Solam autem fornicationis causam exceptam facere Dominum cum de dimittenda coniuge loquitur in Euangelio manifestum est. Paganum ergo coniugium hinc non prohibetur dimitti, quia cum Apostolus de hac re consilium daret, ut fidelis volentem secum esse coniugem infidelem non dimittat, ait. Ego dico, non Dominus, ut Dominus intelligatur non quidem iubere ut dimittatur, ne contra iussum eius consilium dare videretur Apostolus, sed tamen permittere, ut nemo in ea re iustionis necessitate teneatur, sed consilii voluntate liberè faciat, verumtamen si quisquam asserit solam illam fornicationem Dominum admittit ad causam relinquendæ coniugis, qua vulgo dicitur fornicatio, id est, qua concubitus illicito perpetuatur.

Clariorum accipitur.

Tripliciter dimissor mœchatur.

Ecclesia diuortium non admittit.

nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini; sed extra castra cum Maria sorore Moysi, separata confedit; ut quam sacerdos eiecerat, ipse reuocaret. Descendit de solio delictuorum suorum, accepit molam, fecit farinam; & discalciatis pedibus, transiit fluenta lachrymarum. Sedit super carbones ignis. hi ei fuerunt adiutorium. Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat: oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat, sic dolebat, quasi adulterium commississet; & multis impendiis medicaminum vnum vulnus sanare cupiebat.

Quadam Fabiola patrecinia. Quaedam Hieronymi verba videntur excusare Fabiola secundas nuptias, viuentem priore marito. Verum illa intelligere ex aliis, quae aperte illas damnant, oportet. Primo ait se ream absolueret. Deinde eam ius habuisse viui dimittendi. Tertio, necessitatem secundi coniugii fuisse asserit. Hisce oppono alia eiusdem Hieronymi. nam facile fatebor culpam, inquit. Culpam igitur in secundo matrimonio agnoscit, & penitentiam eius laudat. Eam comparat Dauidi, & Petro. Deinde ait, eam Euangelii vigorem nescisse. Eum vero ipse nouit esse, ut non possit aubere. Nam vniuersa causatio nubendi amputatur. Tertio vnum vulnus incauta accipit. Quarto aperuit cunctis vulnus suum. Quinto receptam ait ad Ecclesiam communiohem. Ea igitur de causa excommunicata fuerat, quia si Hieronymus iniquam iudicauit, cur eam non defendit? Sexto: Post naufragium ait noluisse iterum tentare pericula nauigandi. Naufragium igitur in secundis nuptiis agnoscit, & Hieronymus, & tota Roma; quae de eius peccato non dubitauit. Quomodo igitur eam Hieronymus absoluit ream? Quia persuaserat sibi se recte facere, quia Euangelii vigorem non nouerat, quia adolescentula affectu victa est. Infirmate, ignorantiaque, non meretricio animo peccauit. Haec summa est excusationis. At Hieronymus refert necessitatem, quae est omnibus consideranda.

Peccatum Fabiola. Respondeo. Necessitatem viam fuisse talem Fabiolae, non absolutam, sed quia difficilis, & grauis adolescentulae continentia videbatur. Cum ergo legitimum matrimonium esse putaret, noluit se fornicandi occasionibus obicere. Non fuisse necessitatem penitentiam suam docuit; qua demonstrauit, se non necessitate, sed voluntate peccasse. Nam post mortem secundi mariti, facile feruore fidei necessitatem vicit, ut desc. ibit Hieronymus. Porro Caluinus, qui solam fornicationem causam repudii admittit, pro nobis solis respondit, ne vllum putemus esse in vlla necessitate secundarum nuptiarum. [Additur autem; in-

Caluinus. „quit, exceptio, quia mulier scortando, se quasi putrine secundae membrum a viro rescindens, eum liberat. Qui de nuptiis alias causas excogitant; quia supra magistratum coineantur, lestem sapere volunt, merito sunt repudiandi. Ele- viuentem phantiam volunt istam repudii causam esse, quia prioris morbi contagio non modo ad maritum, sed & ad li- uge. „beros perueniat. Ego autem sicut pio viro consulo, „ut Elephantiam uxorem non attingat, ita eius re- „pudiandae licentiam non permitto. Si quis obiciat, „opus habere remedio, qui coelibes viuere nequeunt, „ne vrantur: dico remedium non esse, quod extra Dei „verbum quaeritur, addo etiam, nunquam illi, de fore „continentiae donum, si Domino se regendos tradant: „quia sequuntur quod ille praescripsit. Obrepet alicui „uxoris fastidium, ut congregi cum ea non sustineat: „an huic malo polygamia medebitur? Alterius vxor „in paralyfin, vel apoplexiam incidit, & alio incurabi- „li morbo laborabit: an maritus incontinentiae prae- „xtu illam reiciat? Atqui scimus Spiritus auxilio nun- „quam destitui, qui in viis suis ambulant. Scortatio- „nis vitandae causa, inquit Paulus, quisque uxorem du- „cat. Hoc qui fecit, licet non succedat ex voto, suis „partibus defunctus est. Ergo si quid desit, Dei subfi-

dio farietur. Ultra progredi, nihil aliud est quam Deum tentare.]

§. 12. Chrysostomi etiam est consentiens Hieronymo autoritas. homil. 17. in Matth. Ille enim, inquit, etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis reum, quod adulteram fecit ex coniuge: hic vero accipiendo aliam, adulter effectus est. Nequaquam enim mihi referas, quia illam alter eiecit. Nam expulsa quoque vxor esse eius qui eam expulsi persequeretur. Deinde ne totum in eiciendum referens, magis superbam faceret uxorem, ipsi ne alius postea eam suscipiat, ianuam claudit, dicendo: qui autem dimissam duxerit, adulterat. Per quod certe mulierem facit nolentem pudicam, ad omnes illi aditum claudens, neque permittens ut aliqua viro impatientie occasio ministretur. Cum enim didicerit mulier, quod omnimodo necesse sit, aut eum habere quem ab initio sortita sit, aut illum semel eiecit domo, nullum se iam aliud inuenturum esse suffragium, etiam nolens coniugem suum amare, cogetur.

Quamuis autem homil. 19. in 1. Corinth. 7. dicat: πάλιν ἐκεῖ μὴ πρὸς τὸν πορνεῖον, ὁ ἀνὴρ ὅτι ἐστὶν ἀνὴρ, ὡς τὸ αὐτοῦ ἡ καὶ ἐιδωλοκρατεῖς ἡ γυνὴ, & ἀνδρὸς τὸ διὰ τὸν ὁτι δὲ πάλιν τοῦ. Præterea autem illis quidem post fornicationem maritus non est maritus, illic vero et si idololatrica sit mulier, maritus non amittitur. Quamuis, inquam, verba appareant esse de solutione vinculi; non tamen indicat, virum iam non esse virum eius, aut ius mariti perdidisse, sic enim retinere, & condonare adulterae se corrigenti non posset, nec si vir adulter sit, ideo vxoris amittit vxoris, sed hoc indicat; Adulteram dum alteri se locauit, Ex proposito & nequitia marito factis renunciasse, eum abiecisse, non tamen solutum esse vinculum matrimonii. Id paulo ante explicuit, cum ait, fornicatione solui matrimonium, ut merito scilicet expelli mæcha possit. Aliis in causis non idem esse iuris.

VERSUS 34.

Iterum audistis, quia dictum est antiquis. Non periurabis; reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino; neque per caelum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum eius; neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis; neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. sit sermo autem vester, est, est; non, non; quod autem his abundantius est, a malo est.

QUESTIO I.

An omne iuramentum sit prohibitum?

§. 1. Ita olim haer. sis Pelagianorum quorundam in Hierosolyma docuit, Ep. 89. q. 5. apud Augustinum. Secuti sunt & Wiclefite, nostro tempore Anabaptistae. Qui verba redemptoris simpliciter, rectissimeque sequite arbitrantur. Cum vero duplex iuramentum sit, ut est apud Th. ol. in 2. 2. q. 89. art. 1. Est duplex etiam *Πιστορία*, *πεινυριον*. Nempe iuramentum asser-torium, quo ad veritatis alicuius confirmationem Deus in testimonium vocatur. Et promissorium, Duplex quo aliquid se facturum, aut non facturum, cum ramens diuini